

s. particulis, ad sinistram Subdiaconus cum patena. Finita communione Diaconus reposito vase super altare, si particulae remanserunt, illud cooperit et consignat alicui Presbytero parato cum stola et cotta seu pluviali, qui illud

sub baldachino, si commode fieri potest, praeentibus Clericis cum intortitiis et aliquibus de Clero comitantibus portat ad locum, ubi asservatur SSnum.

Caer. Ep. l. II. c. XXIX. n. 3. 7.

QUADRAGESIMA.

I. Dominica.

Vd.: *Patronus civitatis* (decret. pro civitate Brixien.): *Dominicae*.

QUADRAGINTA MARTYR.

Assignandam esse certam sedem Officio quadraginta Martyrum, diem scilicet 10. Martii, idemque in novis Martyrologiis canendum. n. 2013 ad 3 die 22. Nov. 1659.

Quid mutandum in missa de ss. MM.? vd.: *Missale* (Correctio D. n. 21).

QUAESTUATIO

1) Confraternitatum.

Ad dubium: An PP. Carmelitae Aquen. possint quaestuationem facere pro Confraternitatibus in eorum Ecclesiis erectis?

S. C. resp.: Negative.

Die 19. Maii 1708 ad V.

2) In Ecclesia.

Vd.: *Pauperes*; *Stipend.* (quaestatio in eccles.).

Eleemosynas peti per Ecclesiam, dum Divina celebrantur Officia, prohibuit S. Pius V. *Constit.* 5. §. 5., et *Clemens XI.* injunxit prius Praedicatori-

Q.

bus in Quadragesima anni 1703, ut populo annunciarent, majoris esse meriti sibi gratius non dare eisdem eleemosynas in Ecclesiis sed vel in januis earundem vel alibi. Deinde vero intelligens adhuc continuari tales abusus die 11. Julii 1703 fecit promulgari et affigi in solitis locis Urbis et in Ecclesiis tam saecul. quam reg. sequens edictum: „Riconoscendosi, che tutto cio non sia stato bastante ad impedire le suddette questuazioni, la Santita di N. Signore etc. espressamente proibisce a tutti i fidei dell' uno e dell' altro sesso di qualsivoglia stato, grado e condizione, il dare limosina di qualsivoglia somma, benchè tenuissima a Mendicanti in qualunque tempo dentro le Chiese, avvertendo che quelli che in esse faranno a poveri la limosina, non solamente per cagione delle sopra espresse circostanze, non faranno atto meritorio, ma faranno positivamente colpevoli, per avere benchè indirettamente cooperato all' irriverenza delle Chiese, ed ai disturbi e distrazioni delle preghiere, ed orazioni de' divoti, ed anche per aver trasgredito li premurosi comandamenti di S. Sandita, che hanno per unico oggetto la riverenza, il decoro e la quiete che per divin precetto sono dovuti ai Sagri Tempi.“ Quod fuit confirmatum in Edicto Card. Carpinei Urbis Vicarii 20. Jan. 1705 §. 8. in

fine, ut refert per extensum *Monacel.* tom. 2. tit. 13. fol. 34. primae impress. Romae, ibi: „Siccome anche è l'intenzione di N. S. dichiarata nell' ultimo Editto, in cui si proibisce ad ogni fedele dar nelle Chiese limosine a' poveri.“ Et iterum confirmatum fuit die 3. Augusti 1716 a Cardinali Caracciolo Pro-Vicario, necnon a Cardinali Paracciano Vicario die 23. Sept. 1718, quando fuit etiam idem Edictum ampliatum multipliciter.

3) Infra Exposit. SS. Sacramenti.

Ad dubium: An PP. s. Dominici liceat sine licentia Episcopi quaestuari per Ecclesiam tempore, quo recitatur ss. Rosarium vel quo adest expositum expensis Confraternitatis ss. Rosarii SSnum pro 40 horis?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 30. Martii 1715.

QUARTA FUNERALIS.

1) Quando Cathedrali debetur?

Quarta Parochialis debetur Ecclesiae Cathedrali vel praescriptione vel ex eo, quod illam sibi reservavit, quando Parochiae fuerunt erectae in signum Superioritatis. *Rota* part. 1. recentior. decision. 376. n. 2 et 3., *Riccius* resolut. 299. n. 4. et alii.

Differt Ecclesia Cathedralis ab aliis Ecclesiis quoad acquirendam praescriptionem exemptionem a solutione quartae funerariae; Cathedralis enim Ecclesia quadragenaria acquirit exemptionem a solutione quartae funerariae. Caeterae vero Ecclesiae indigent memorabili vel centenaria ad hanc acquirendam exemptionem. *Rota in Barchinonen.* *Jurium Parochialium* super quarta et oblationibus 9. Julii 1732 §. 4. cor. clar. mem. *Aldrovand.* Capitulo Colleg. Canfalonis de Urbe

Decreta authentica. Tom. II.

(habenti jus parochiale) debetur quarta ex funeralibus, quae fiunt tam prima die post tumulatum cadaver quam septima die in Ecclesia Societatis B. V. M.

n. 3758 ad 6 die 22. Jan. 1707.

Eidem Capitulo debetur quarta candelae et cerei, quae apponuntur in funere, non autem quae dantur prae manibus.

Ibidem ad 7.

Volaterrana.

(Conc. Tr. c. 13. sess. 25. De ref.)

Supremum cum obiisset diem Florentiae de anno 1709 Philippus Guidus Nobilis Volaterranus Aulicus Magni Ducis Hetruriae, praevia sepulturae electione in Ecclesia PP. Minor. Conventualium s. Francisci Volaterrarum, fuit exinde ejus cadaver Florentia delatum ad Ecclesiam praedictam exceptumque a Patribus privatim et sine pompa. Verum insequenti die a delatione cadaveris fuerunt a Patribus, eo praesente, instantibus defuncti propinquis, concelebratae exequiae cum Castro doloris, numerositate luminum ac pompa funebri. Cum autem Patres omnem ceram, quae circa feretrum superfuit, appropriaverint ad beneficium eorum Ecclesiae, praetensionem ex adverso excitavit Capitulum Ecclesiae Cathedralis subnixum ass. consuetudine antiquissima sibi deberi quartam partem totius cerae praedictae ardentis tam circa cadaver quam super altaribus, dummodo tamen quodlibet lumen excedat pondus unciarum quatuor, quam quidem quartam Episcopalem nuncupare solent praetensam scilicet ex funeribus eorum, qui ubicunque decedentes in aliis Ecclesiis saecular. vel regularibus etiam extra Parochiam Cathedralis fuerint sepulti; qua de re Patres praedicti recursum

cum additione, quod, ubi consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae vel statuta vigerent, quae praefatis parochis magis faverent illisque pinguiorem praedicta quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in his, in quibus vigent, locis, inconcusse ab omnibus observarentur; cumque Episcopus in sua informatione retulerit: vigere in civitate Pisarense consuetudinem sententiarum etiam iudicium comprobata, juxta quam non solum Ecclesiae saeculares sed etiam regulares solvunt parcho absque contradictione medietatem cerae accensae in expositione circa cadavera defunctorum, quae in ipsorum Ecclesiis sepeliuntur, hinc factum est, quod Patres Cappuccini fuerunt condemnati ad solvendam quartam partem cerae accensae in associatione cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumulanda deferuntur, et cerae et intortitorum medietatem, quae accenduntur circa cadavera, quae in eorum Ecclesia ante humationem exponuntur.

Celebris fuit in hac sacra Congregatione anno proxime elapso causa Mantuana, cujus facti species est, quae sequitur:

Anno 1694 sacra haec Congregatio resolvit, quod parochis civitatis Mantuae *) solveretur medietas omnium, quae ratione funerum erogabantur et reclamantibus Ecclesiis saecularibus perstitum fuit in decisio anno sequenti 1695.

Post Ecclesias saeculares insurrexerunt Ecclesiae regulares, examinatisque earum praetensionibus annis 1696, 1697 et 1699 responsum fuit: Servandam esse consuetudinem solvendi quartam in medietate cereorum tantum, quae deferuntur per viam, ita ut ab inde citra in civitate Mantuana Ecclesiae saeculares solverint parochis

*) Hoc decretum vd. supra p. 932.

medietatem tam cereorum, quae per viam, quam aliorum, quae circa cadaver et castrum doloris accenduntur, sed Ecclesiae regulares non persolverunt nisi medietatem cereorum, quae feruntur per viam.

Edita supradicta SS. Domini nostri constitutione instantibus parochis civitatis Mantuae, sub obtentu potissimum quod in constitutione demandatur observantia consuetudinis, quae magis parochis faveret, disputatum fuit die 25. Jan. 1727 dubium: „*Quomodo et in qua summa liceat parochis saecularibus exigere quartam funeralem ab Ecclesiis Regularium in casu?*“ Et huic dubio die 8. Febr. subsequentis responsum fuit: Solvendam esse a regularibus medietatem tam cereorum, quae deferuntur per viam, quam aliorum, quae accenduntur in Ecclesia circa cadavera et castrum doloris et altaria. Sed impetrata a regularibus nova audientia: disputatoque die 24. Maii „*an esset standum vel recedendum a decisio?*“ major pars suffragiorum fuit pro recessu a decisio, hoc est, quod Ecclesiae regularesolvere debent medietatem cereorum, quae per viam deferbantur, et quartam partem cereorum et intortitorum, quae accenduntur in Ecclesia circa cadavera et castrum doloris et altaria, ex quo videlicet constitutio nihil aliud intendebat, quam quartae solutionem, et praeservatio consuetudinis, quae esset parochis magis favorabilis, non poterat sibi locum vindicare in casu, de quo agebatur, cum ea nunquam vigeret in Ecclesiis Regularium quoad solutionem medietatis cerei, quod accendebatur circa cadavera et castrum doloris et altaria, sed, cum ageretur de interpretatione constitutionis editae a SS. Domino nostro adhuc feliciter vivente, responsum fuit: Ad Secretarium cum Sanctissimo juxta mentem, quae fuit, ut ipse Sanctitati suae exponerem sta-

tum controversiae, momenta rationum et numerum suffragiorum; et facta per me SS. Domino nostro praedictorum omnium distincta et clara expositione Sanctitas Sua declaravit, mentem suam fuisse, quod ab Ecclesiis tumulantibus parcho solveretur quarta, quod persisterent consuetudines et concordiae, in quibus pinguior portio parochis assignabatur, uti contingit in urbe, in qua portio a Regularibus persolvenda parochialibus Ecclesiis est ad medietatem redacta, uti late firmant Pasqualig. ad Lauret. de Franc. par. I. n. 29.; Pignatell. consult. 52. n. 9. tom. 1.; Rota in Senogallien. quartae funeralis 11. Jan. 1686 §.: denique coram bon. mem. Rondonino, impressa apud Bertachin. voto 101., et se idcirco approbare sensum pluralitatis suffragiorum, quod medietas cerae, quae deferuntur per viam, a Regularibus Mantuanis esset solvenda, cum in ordine ad eam consuetudo jam esset introducta et quartam tantum partem cerae, quae accenditur circa cadaver et castrum doloris, esse ab iisdem Regularibus solvendam, cum nulla in hac parte parochis consuetudo faveret, et consentanea ad sensum Sanctitatis Suae decretum editum fuit in praedicta causa Mantuana, ex cujus serie, quod ad rem videntur inferri posse, alterum: Patres Cappuccinos non posse se eximere a solutione quartae partis cerae, quae deferuntur in associatione cadaverum in ipsorum Ecclesia sepeliendorum, prout etiam ipsi ultro in suis scripturis fatentur; alterum est, idem forte iudicium esse ferendum de quarta parte cerae et intortitorum, quae accenduntur circa cadavera, quae in eorum Ecclesia exponuntur ante humationem, et praetensionem medietatis pendere a facto, a consuetudine videlicet, non solum ecclesiarum saecularium sed etiam regularium eam solvendi vel non solvendi.

Haec quoad primum dubium; quoad secundum vero Canonici et parochi civitatis Pisauri instant pro ejus resolutione juxta firmata per Rotam dec. 22. post Monacell. tom. 4., unde ex juribus circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An sit standum vel recedendum a decisio in casu?*

II. *An parochi possint cogere haeredes defuncti ad exponendum funerale juxta qualitatem et gradum personarum et respective, an sit standum vel recedendum a decisio in casu?*

S. C. C. resp. ad I.: In Decisio;

ad II.: in Decisio.

Die 15. Maii 1728.

Oritana.

(Conc. Tr. cap. 13. sess. 25. De Ref.)

In Constitut. SS. Domini nostri incipien. „*Romanus Pontifex*“, ac impressa post Concilium Romanum in ordine „la 6.“ super solutione quartae funeralis adest infrascripta declaratio: „*Ubi consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae vel statuta vigerent, quae parochis magis faverent illisque pinguiorem praecitata quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in his, in quibus vigent, locis inconcusse ab omnibus observarentur*“; hinc ad probandam consuetudinem et conventiones ac respective obtinendam dictam pinguiorem quotam variae in dies oriuntur controversiae inter Ecclesias tumulantes et Ecclesias parochiales.

Celebris est causa Mantuana *) jamdiu agitata in hac sacra Congregatione, in qua contententibus parochis exigere ab Ecclesiis tumulantibus tam saecularibus quam regularibus in vim consuetudinis ibi vigerentis quartam funeralem in medietate omnium, quae ratione funerum erogabantur; quoad Ecclesias saeculares constans fuit sen-

*) Vd. Decretum antecedens: „*Mantuana*.“

habuerunt ad hanc S. Congregationem pro declaratione. Requisite desuper informare Episcopus Volaterran. comprobando praemissa retulit hanc causam pendentem esse in ejus curia usque a die tumulationis cadaveris introductam modoque esse expeditioni proximam, ac ideo putat rescribendum suo Vicario Generali pro decisione. Caeterum approbat possessionem Capituli exigendi quartam similem totius ceriae pondus unciarum quatuor excedentis in omnibus Ecclesiis tam Saecularium quam Regularium, ut ex dicta relatione danda in Summario.

Itaque inter partes de consensu concordata sunt infrascripta dubia, quae hodie ex deducendis hinc inde proponuntur EE. VV. resolvenda:

I. *An et quae quarta debeat Capitulo pro funere, de quo agitur?*

II. *An et quae quarta debeat pro reliquis funeribus, quae fiunt in civitate Volaterrana pro civibus et exteri ibidem defunctis et humatis?*

III. *An et quae pro civibus in aliis civitatibus mortuis et intra civitatem Volaterranam tumulatis?*

IV. *An et quae pro exteris in alienis civitatibus decedentibus et in civitatem Volaterranam sepultis?*

S. C. resp.: Omnia ad Episcopum, qui procedat prout de jure.

Die 5. Martii et 9. Apr. 1712.

2) Cathedr. non debetur.

S. Miniati.

Ex antiquissima et nunquam contradicta consuetudine Capitulum et Canonici Ecclesiae Cathedralis s. Miniatis erant in possessione non solvendi parochis quartam funeralem de funeribus defunctorum, qui ex propria electione vel ob sepulchrum gentilium in dicta Cathedrali Ecclesia tu-

mulabantur; edita tamen per SS. Dominum nostrum constitutione incip.: „*Romanus Pontifex*“, impressa post Concilium Romanum, in qua praevia revocatione omnium privilegiorum alias Regularibus concessorum et cum clausula irritativa quarumcumque consuetudinum etiam immemorabilium, districte injungitur solutio hujus quartae Ecclesiis parochialibus facienda; istius vigore parochi ss. Jacobi et Stephani ejusdem civitatis recursum habuerunt ad hanc S. Congregationem pro declaratione, quod Capitulum teneretur in posterum praedictam quartam funeralem ipsis persolvere.

Expeditis consuetis literis Episcopo pro informatione et voto, hic relationem parochis favorabilem transmisit, et datur impressa in eorum summarium num. 1. Sed praefixo postmodum termino unius mensis ad deducenda sua jura in S. Congregatione duo Canonici nomine dicti Capituli comparuerunt coram Episcopo exponentes, ob notam tenuitatem massae capitularis hanc litem sustinere non posse, ideoque nonnulla summorum Pontificum privilegia atque antiqua documenta eidem exhibuerunt, ut jura Capituli ipse referret; quapropter Episcopus novam relationem transmisit, in qua inserendo dicta apostolica privilegia et praecipue *Coelestini III.* et *Clementis VII.*, quae dantur etiam impressa in „Summarium“ parochorum num. 2 et 3., haec circa statum Ecclesiarum subjungit: „Haec insignis et vetusta olim Collegiata nunc Cathedralis Ecclesia multis privilegiis per *Paschalem II.*, *Eugenium III.*, *Coelestinum III.*, *Innocent. III.*, *Pium II.* et *Clementem VII.* aliosque summos Pontifices decorata reperitur. Illud autem est praecipuum, ut viginti et ultra Ecclesiae in Bullis *Coelestini* et *Innocenti III.* distincte nominatae ac intra notos ejusdem plebis sive prae-

positurae fines constructae, quibus cura imminet animarum, pleno jure verae et propriae matricitatis praefatae Ecclesiae majori subordinatae ac subiectae esse noscantur; unde in illis praepositus usu Pontificalium aliisque specialibus indultis et privilegiis insignitus olim ante sedis episcopalis erectionem Rectores seu Vicarios praeficiebat et jurisdictionem exercebat, sicuti etiam ab eis non solum canonicam portionem matricibus debitam sed etiam indifferenter tertiam partem omnium funeralium, oblationum, necnon quartam partem decimarum (quod ultimum sub annua solutione ejusdem portionis decimae adhuc servatur), ipsamet Ecclesia matrix percipiendi jure fruebatur; inter has vero Ecclesias dependentes et subordinatas, quae simul cum matrice veluti constituent unam formalem Ecclesiam, licet in plures materiales divisam pro majori populi commoditate in enunciatis Bullis *Coelestini* et *Innocenti III.* non solum dicta Ecclesia saecularis s. Stephani sed etiam dicta Ecclesia nunc regularis s. Jacobi expresse recensetur.“

Ex his prosequitur idem Relator, tutam existimant Canonici eorum exemptionem a solutione praetensae quartae funeralis, sive inspecta qualitate Cathedralis sive jure matricis sive demum et fortius centenaria ac immemorabili consuetudine ex adverso non impugnata, in vim cujus allegari potest quicumque titulus possibilis et melior; privilegium nempe apostolicum vel expressa hujus juris reservatio per Cathedralis facta in primaeva erectione seu dismembratione istarum Ecclesiarum parochialium et filialium, super quo videri posset decis. 376. part. 1. recent., vel in compensationem alterius juris, quod Cathedralis prius habebat et postmodum remisit, exigendi a prae-

dictis inferioribus Ecclesiis tertiam partem omnium funeralium et oblationum; nec enunciata privilegia, observantia, concordiae praesumptivae et exemptiones Capitulo competentes ex jure potius nativo quam dativo revocatae dici debeant a praefata constitutione SS. Domini nostri, utpote quae tantum abrogavit et abolevit privilegia et exemptiones concessas Regularibus, ut constare videtur ex integro illius contextu.

Haec sunt jura Capituli exhibita cum postrema relatione Episcopi, ad quae omnia, cum plene respondeatur in scriptura, quae circumfertur ex parte parochorum, dignabuntur EE. VV. his perpensis, summa qua pollent sapientia declarare: *An debeat quarta funeralis in casu?*

S. C. resp.: *Negative.*

Die 18. Decbr. 1728 et 12. Martii 1729.

3) Confraternitati non competit.

Confraternitates, quae habent jus sepulturae, debent sepelire sine praedicio Quartae funeralis aliorumque emolumentorum, quae spectant ad Capitulum vel Parochum. S. C. Episcopi in una Anconitana 19. Decbr. 1608 apud *Nicol.* in flosculis verb.: *Confraternitas* n. 22., et apud *Piton.* Constit. ad Parochos n. 290.

4) Parochi saecul. debetur.

Vd.: *Quarta fun.* (Regular.)

Quarta debetur de omnibus intortitiis, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumultantem associatur, necnon de omnibus intortitiis et candelis, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus in die funeris accenduntur. Sic expresse statuit novissime *Bened. XIII.* Constitut. incip.: *Romanus Pontifex*

unde, ubi adest consuetudo, quod in Ecclesia circa cadaver diversa accendantur intortitia ab illis, quae fuerunt accensa in associatione cadaveris in itinere ad Ecclesiam tumultantem, debetur quarta de omnibus.

Etiam si funus non fiat in die tumultationis, sed ad diversam diem vel ad aliud longius tempus differatur, debetur nihilominus Parocho quarta de omnibus intortitiis et candelis, quae circa cenotaphium seu tumulum honorarium et in altaribus ejusdem Ecclesiae accendantur. Sic expresse *Benedictus XIII.* in cit. Constitut. incip.: *Romanus Pontifex*, et jam alias declaraverat S. C. Episcop. et Regular. in Senensi 3. Aug. 1621.

Vd.: *Eleemosyna pro funer...* *Defunctus* (ubi deponat., decr. n. 4316). *De quarta fun. Paroch. Italo-Graec.*, vd.: *Unctio in Bapt. Italo-Graecor.* n. XI. XII.

Semper quartam funeralem intortitionum, quae circa corpus defuncti deferuntur, reservatam intelligi proprio parocho, quotiescunque defunctus alibi sepeliri contigerit. n. 785 ad 3 die 9. Dec. 1628.

Valere reservationem Sepulturae pro Alicorno et successoribus in Ecclesia per ipsum aedificata existente intra fines Ecclesiae parochialis, reservata tamen quarta funerali debita parochiali Ecclesiae. n. 805 die 31. Mart. 1629.

Haeredes def. possunt invitare numerum Sacerdotum saecul. aut regul. immo et confraternitatum sibi bene visum, nec cogi possunt ad vocandum Capitulum vel alios sed solum parochum, cui debetur duplum eleemosynae illae, quae datur aliis Sacerdotibus simplicibus. S. C. Ep. 17. Mart. 1579; 11. Oct. 1580; 24. Jan. 1581; 11. Jan. 1647; 11. Dec. 1649.

Vocato parocho et ipso renuente intervenire vel alium mittere Regula-

res deferrant cadaver absque parocho in eorum Ecclesia sepeliendum. Quo vero ad emolumenta per parochum praetensa, nihil dandum ultra solitum. n. 2733 ad 6 die 22. Junii 1675.

Si quis sepultus fuit extra Ecclesiam, in qua debebat sepeliri, sunt restituenda omnia emolumenta occasione hujus sepulturae percepta, et etiam ipsum cadaver, si petatur. S. C. C. 29. Nov. 1622.

Non tamen convenit restitui, si fuisset sepultus a multo tempore, quo casu sola funeralia restituantur cum declaratione, quod cadaver spectabat ad talem Ecclesiam.

S. C. C. 12. Junii 1654; 30. Apr. 1655.

Ad parochum non spectant omnes cereae, quae deferuntur ab associatione cadaveris et circa illud exponuntur in funere in Ecclesia PP. Conv. Min. civitatis Alexani sed potius sola quarta funeralis. n. 4082 ad 3 die 21. Mart. 1739.

Mantuana.

(Conc. Tr. C. 13. Sess. 25. De ref.)

In civitate Mantuana vigeat consuetudo, ut quaecunque Ecclesiae tumultantes sive saeculares sive regulares persolverent Ecclesiae parochiali medietatem cereorum, cum quibus cadavera ad Ecclesiam tumultantem deferebantur, et quod pro aliis cereis funeralibus, quae in Ecclesia tumultante circa cadaver et castrum doloris accendebantur, solveretur quaedam quota pecuniaria ab haeredibus defuncti, sed nunquam minor libris duodecim.

Consuetudo haec solvendi videlicet ad minus libras duodecim pro cereis funeralibus, quae accendebantur circa cadaver et castrum doloris, impugnata fuit a nonnullis particularibus eccles. civitatis Mantuae causaque delata ad hanc

sacram Congregationem; haec anno 1694 censuit: non esse gravandos haeredes ad dictam solutionem, sed reservavit jura parochialium adversus Ecclesias tumultantes, cumque parochiales Ecclesiae sua jura ad tramites praeservationis prosecuta fuissent adversus Ecclesias tumultantes, sacra haec Congregatio fuit in sensu: *quod medietas debebatur omnium, quae ratione funerum erogabantur.*

Ecclesiae civitatis Mantuae, hoc est Cathedralis et aliae saeculares a praedicta resolutione reclamarunt, sub obtentu, quod antea nunquam soluta fuerat medietas eorum, quae ratione funerum erogabantur, sed sacra Congregatio bene perpendens, hanc observantiam negativam causam habuisse ab alia per eandem sacram Congregationem sublata, juxta quam, uti dictum est, haeredes persolvebant quotam librarum ad minus duodecim, die 30. Aprilis 1695 stetit in decretis.

Post saeculares Ecclesias insurrexerunt Ecclesiae regulares civitatis Mantuae, cumque hae nedum sua privilegia allegassent sed etiam formiter dixissent, non esse adversus se probatam consuetudinem exigendi portionem canonicam, sacra haec Congregatio die 17. Martii 1696 parochos adstrinxit ad coadjuvandas probationes super praedicta consuetudine, cumque parochi per formale testium examen consuetudinem in aperto posuissent et sic res esset redacta ad punctum privilegiorum, die 27. Aprilis 1697 responsum fuit, quod exhiberentur privilegia regularium et interim solitum servaretur; allatis subinde praedictis privilegiis et informantibus semper regularibus, die tandem 18. Julii 1699 responsum fuit: *servandam esse consuetudinem solvendi quartam in medietate cereorum tantum, quae deferuntur per viam.*

Ad tramites hujus postremae resolutionis facta est a parochis exactio, sed edita a ss. Domino nostro Benedicto PP. XIII. Constitutione, quae incipit „Romanus Pontifex“ et quae est sexta in ordine post Concilium Romanum, in qua sublatis regularium privilegiis iidem adstringuntur ad solutionem quartae favore ecclesiarum parochialium, tam candelarum, quibus defunctorum cadavera ad Ecclesiam deferuntur, quam aliarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus pariter accendantur, exceptis tantum candelis, quas regulares funus associantes in manibus deferunt; cum parochi memoratae civitatis Mantuae coeperint praetendere medietatem non solum intortitionum, quibus cadavera ad Ecclesias Regularium associantur, sed etiam aliorum, quae in die funeris circa cadaver castrumque doloris et etiam in altaribus tumultantis Ecclesiae accendantur, controversia inter ipsos et regulares exorta est, in qua, cum jura hinc inde circumferantur, onus erit EE. VV. discernere:

Quomodo et in qua summa liceat parochis saecularibus exigere quartam funeralem ab Ecclesiis Regularium in casu?

S. C. C. resp.: Solvendam esse a Regularibus medietatem tam cereorum, quae deferantur per viam, quam aliorum, quae accendantur in Ecclesia circa cadavera et castrum doloris et altaria.

Die 25. Jan. et 8. Febr. 1727.

Continuatio ejusdem causae.

Fundamentum hujus resolutionis constitutum fuit in memorata constitutione ss. Domini nostri, in qua ad solutionem quartae Regulares adstringuntur et derogatur contrariis privilegiis quibuscunque, et in ep., quod attinet ad

consuetudines, ita legitur: ubi vero „consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae vel statuta vigent, illisque pinguiorem praedicta quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in his, in quibus vigent, locis inconcusse ab omnibus observari praecipimus.“

Adeoque si Mantuae aderat consuetudo solvendi medietatem tamen cereis, cum quibus cadavera ad Ecclesiam tumultantem deferuntur, quam ex aliis cereis funeralibus, quae in Ecclesia tumultante circa cadaver et castrum doloris in altaribus accenduntur, non erit sufficiens pro Ecclesiis parochialibus, si ipsis solvatur medietas cereorum, quae deferuntur per viam, si iisdem solvatur quarta cereorum, quae in Ecclesia tumultante circa cadaver et castrum doloris et in altaribus accenduntur, sed erit omnino necessarium, ut horum omnium medietas persolvatur parochialibus ab Ecclesiis Regularium, quando in eis cadavera alienorum parochianorum sepeliuntur.

Ad partes posita responsione, quod consuetudo solvendi medietatem de cereis, quae in Ecclesia tumultante circa cadaver et castrum doloris accenduntur, respiciebat Ecclesias saeculares et non regulares civitatis Mantuae; quando etenim ss. Dominus noster praeservavit in sua Constitutione consuetudines locorum magis favorabiles parochiis, non potuit id intelligere nisi de consuetudinibus ecclesiarum. Supponit enim in sua Constitutione, Ecclesias regulares esse exemptas vigore privilegiorum, quibus proinde derogavit.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere: An sit standum vel recedendum a decisio die 8. Febr. currentis anni?

S. C. C. resp.: Ad Dominum secretarium cum Sanctiss. juxta mentem.

Die 24. Maii 1727. Vd. p. 936.

Ad dubium 1.: An parochi saeculares vel praetextu funeralis vel ratione associationis praetendere possint ab haeredibus defunctorum majus emolumentum, quando cadavera sepeliuntur in Ecclesia s. Francisci PP. Reformatorem Terrae Forani, quam accipiant, quando tumultantur in Ecclesiis saecularibus?

2.: An parochianis Ecclesiae parochialis Terrae Montis Cassiani dioecesis Lauretanae liceat sibi eligere sepulturam in eadem Ecclesia PP. Reformatorem Forani Territorii Terrae Appiani Auximanae dioecesis? Et quatenus affirmative;

3.: an paroco dictae Terrae Montis Cassiani ejusque Sacristae praeter quartam funeralem ratione praetensi majoris laboris debeatur majus emolumentum et in qua summa pro associatura cadaveris ad dd. PP. Reformatorem Ecclesiam extra Territorium et dioecisim degentes? Et quatenus negative;

4.: an idem parochus Montis Cassiani teneatur restituere haeredibus J. Baptistae Cherubini portionem in istius funere majorem aequo exactam?

5.: An pro translatione cadaveris de uno ad alium locum occasione tumulationis in eadem PP. Reformatorem Ecclesia debeatur aliquod emolumentorum Gabellariis in casu?

S. C. resp. *ad 1.*: Dabitur resolutio in casibus particularibus;

ad 2.: affirmative et amplius;

ad 3.: affirmative juxta taxam Episcopi;

ad 4.: satis provisum per Episcopum et amplius;

ad 5.: negative.

Die 24. Martii 1753.

Fanen.

(Conc. Tr. cap. 13. sess. 25. De Ref.)

Controversia orta est inter parochos civitatis Fani et Capitulum Cathedralis Ecclesiae ejusdem civitatis negante

Capitulo quartam funerariam parochis tradere ex candelis, quae in altaribus accenduntur. Parochi igitur ad hoc s. Tribunal confugerunt, auditoque jam Episcopo causa nunc proponitur, disputantibus parochis rem dudum definitam fuisse Constitutione optimi Principis Benedicti XIII. lata in Concilio Romano, cujus initium est: *Romanus Pontifex*, et pluribus sacri hujus Tribunalis decretis: nec mutare duas Capituli exceptiones, quarum prima est in vetustissima consuetudine, altera in concessione facta Capitulo ab Episcopo Carboni anni 1165 „de oblationibus tam vivorum quam mortuorum, quae in episcopali Ecclesia offeruntur“ atque ab Episcopo Riccardo anno 1218 „de omnibus mortuariis, quae ad se pertinerent, potuissent de parochia.“ Consuetudinem enim quamcumque parochis inimicam sublatam fuisse ab eadem Benedictina Constitutione, atque ita responsum fuisse ab hoc sacro Tribunali contra Patres Oratorii ejusdem Civitatis in Fanen. 14. Dec. 1754. Cessiones vero complecti mortuaria, quae ad Episcopos cedentes pertinerent, non quae ad parochos, qualia sunt ex candelis, quae in altaribus accenduntur in funere. Haec parochi. A Capitulo nihil habuimus. Dubium est:

An quarta funeralis, quando cadavera aliarum parochiarum in Cathedrali tumultantur, debeatur quoque ex candelis, quae in altaribus occasione funeris accenduntur in casu?

S. C. resp.: Affirmative et amplius. Die 17. Sept. 1757.

Pisaurien.

(Conc. Tr. cap. 13. sess. 12. De Ref.)

Exorta lite inter Patres Capuccinos civitatis Pisauri et Capitulum Cathedralis et parochos civitatis super solutione quartae, quando cadavera sepeliuntur in Ecclesia dictorum PP., et

super puncto adigendi haeredes defunctorum ad paranda funeralia juxta qualitatem et gradum personarum, post exquisitam et habitam Ordinarii informationem de mense Septembris proxime praeteriti bina dubia inter summaria precum fuerunt disputata:

Primum: „*An Patres Capuccini teneantur tradere parochis quantum cerae accensae in associatione cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumultanda deferuntur et medietatem cerae et intortitorum, quae accenduntur circa cadaver in eorum Ecclesia expositum?*“ Et huic dubio responsum fuit: Patres Capuccinos teneri ad solvendum parochis quartam partem cerae accensae in associatione cadaverum, quae ad eorum Ecclesiam tumultanda deferuntur, et medietatem cerae et intortitorum, quae accenduntur circa cadavera, quae in eorum Ecclesia exponuntur ante humationem.“

Secundum: „*An parochi possint cogere haeredes defuncti ad exponendum funerale juxta qualitatem et gradum personarum?*“ Et huic dubio responsum fuit: „Ad Episcopum, qui auctoritate s. Congregationis procedat prout de jure.“

Impetrataque a PP. Cappuccinis nova audientia, disputanda proponuntur dubia ad calcem restrictus referenda.

Motivum resolutionis praeteritae constitutum fuit in Constitutione 6. SS. Domini nostri impressa post Concilium Romanum, in qua sublatis omnibus privilegiis alias regularibus concessis statutum fuit, quod electa a parochianis alterius parochiae sepultura in ipsorum Ecclesiis solvatur paroco quarta pars omnium intortitorum et candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Ecclesiam tumultantem associatur, necnon omnium intortitorum et candelarum, quae in eadem Ecclesia circa cadaver vel etiam in altaribus in die funeris accenduntur, et